4.02

Q. D. B. V.

Principium Moſellæ Auſonii

AD DISPUTANDUM
PUBLICE PROPOSITUM

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆSIDE
CONRADO SAMUELE
SCHURZFLEISCH,
PROF. PUBL.

RESPONDENTE
M. GODEFRIDO KÜPFENDER
OLSNA-SILESIO.

WITTENBERGÆ,
Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXVI.

1.

COgitanti Alſatiæ origines occurrit Auſonius; * cujus & jucundiſſima cum Imperatore Gratiano conſvetudo, & regionum, qvæ inter Rhenum Moſamqve interjacent, multo ſtudio comparata notitia fuit. Qvi poëmate condendo, qvod Moſellam inſcripſit, non tantùm effinxit atqve imitatus eſt ſcriptores optimos, ſed etiam hiſtoriæ ſcribendæ cumprimis dignitatem attulit, & qvoad ego inveſtigare potui, primus ex omnibus fuit, qvi obita Alſatiæ itinera, & principis in ea regione urbis *nova mœnia* poſteritati commendavit.

2. Eqvidem vivo adhuc Valentiniano, hujus nominis primo, qvi eum regendis Gratiani

* *Diverſus ab Auſonio Sophiſta, cujus Suidas meminit. Noſtri ſimilis, aut ſaltem pangendi carminis felicitate non inferior fuit Lælius Capilupus Mantuanus, de qvo eſt apud Thuan. hiſt. lib. XXVI. Auſonius, qvi Hiſpaniæ fines ſeditioſis conſiliis turbavit, nomen hoc loco alienum eſſe, per ſe eſt manifeſtum, de qvo vid. Adelmus Benedictinus A. 826. 827.*

tiani filii ſtudiis acciverat, & poſtea Galliæ Belgicæ præfectum impoſuerat , à Treboccis in Treviros profectus, Alſatiam tranſiit, & poſtqvam Argentoratum, regionis caput muro circundatum primò vidit, primis verſibus, qvibus Moſellam auſpicatus eſt, hoc veluti monumento ejus ſuſcepti itineris memoriam conſervavit.

3. Qvæ res cauſaqve tam plana eſt, ut niſi jam illuſtrandi Auſonii data mihi occaſio fuiſſet, iſto ſanè inſtituto prorſus ac meritò ſuperſedere poſſem. Verùm qvia hoc negotium eſt ejuſmodi, ut dignum uſu tractationeqve videatur, rationem inibo, qvemadmodum Auſonio pariter auctoritas, & ſermoni meo fides concilietur.

4. Sed priusqvam eo labore, ſine qvo omnis diligentia ſupervacanea futura eſt, defungamur, finium, qvibus Alſatia ſeparatur, certa eſſe conſtituta ratio debet, cum ut regnorum *Auſtraſiæ Burgundiæq;* portiones ne confundantur, tùm ut *Alemanniæ* ſæpe in dubium vocatus limes qvodammodò intelligatur.

5. Qvod

5. Qvod ubi factùrum me recepi, initium ordiar à Comitatu *Pfuretarum*, cujus in multis & pervetuſtis monumentis mentio fit, cujusq; certo fundamento nixum jus eſt, qvem Auſtraſiæ non rectè annumeraveris, nec jure Alſatiæ membrum dixeris, propterea qvòd ex diverſa cauſa acqviſitus eſt, atqve adeò ratione primi acqvirentis diſpari modo jureqve continetur; Rauracorum qvippe portio, & in fines Antiſtitis Baſileenſis, veri atqve indubitati Germaniæ Principis deſcripta, ejusq; beneficio diu & pacatè ab Anſtriis, & ante hos à Comitibus *Pfuretarum* poſſeſſa, qvod codicillis publicâ fide firmatis, in qvibus hæc ſeqventia anno M. CC LXXI. ſcripta ſunt, doceamus. *Ulricus Comes Pfuretarum* : * *Noverint tam præſentes, qvàm poſteri, qvod nos Domino noſtro Henrico Epiſcopo Baſilienſi:* ** [Baſileæ primus meminit Amm. Marcellinus lib. XXX. qvam Ptolomæus Auguſtam Rauracorum appellavit l.2.cap.9.] *nomine Eccleſiæ ſuæ, à qva unà cum progenitoribus noſtris nos multis beneficiis, feudis & aliis*

*** Baſilienſi pro Baſileenſi, in diplomatis ejus ſeculi, Chronico Colmarienſi, & Alberto Argentinenſi legitur.*

 plu-

* *al. Ferretarum, vulgò ditioni Suntgoviæ annumeratorum. In Chron. Colmarienſi part. alt. p. 51. Phirretæ dicuntur.*

*plurimis utilitatibus ſublimatos * recognoſcimus, & multipliciter honoratos, caſtrum & oppidum de Pfureto, &c. per manum & conſenſum Theobaldi filii noſtri vendidimus, tradidimus, & in vacuam poſſeſſionẽ miſimus, recipientes tam nos, qvàm idem Theobaldus filius noſter, omnia præſcripta in feudum ſeu beneficium, à dicto noſtro Domino Epiſcopo Baſilienſi, nomine Eccleſiæ ſuæ, præſtito ſibi à nobis fidelitatis corporaliter ſacramento, &c.*

** id eſt, auctos ornatosq;, atq; unà in meliorem altioremque ſtatum evectos, ut hac notione perfrequenter occurrit in tabulis Carolovingicis. In ſeqviorum temporum monumentis occurrunt formulæ beneficiare, inbeneficiare, infeodare, jure feodali competere.*

6. Unde jure optimo exiſtimare liceat, Rauracos, qvi ſitus ratione ad Burgundiam pertinent, *Pfuretas* lege beneficiaria ſibi obnoxios habuiſſe, & à multis inde ſeculis in ditione imperioqve retinuiſſe, qvod non fingimus temere, ſed ratione uſuq; annalium comprobamus, adeò ut rerum converſio Alſaticarum Comitatus *Pfuretarum* dignitati atqve juri ſeparato derogare non potuerit, ſi Domus Auſtria pacis firmandæ remedium omittere voluiſſet, qvæ cum propter conſolidanda Germaniæ vulnera jure ſuo cederet, tùm Rauracorum Antiſtiti id grave,

e permoleſtumqve eſt viſum, qvod in acto-
um publicorum commentarios retulit Mi-
hael Caſpar Lundorpius.

7. Id verò aliunde perſpectum eſt ſatis at-
ve cognitum, Baſileam Rauracorum caput ac
eterem ſedem ambitû Burgundiæ compre-
iendi, & ab Alſâtia Sundgoviaqve ſecerni; in
va re præterqvam qvòd ſcriptores graves mi-
i aſſentiuntur, VVippo qvoqve eruditione ac
icerdotii gravitate eximius vir, & dum in vivis
ſſet, Conrado Saliqvo à ſacris, firmâ conſtan-
iqve ſententiâ ſuffragatur. *Baſilea*, inqvit, *ci-
vitas ſita eſt in qvodam triviali confinio; id eſt,
Burgundiæ, Alemanniæ & Franciæ: ipſa verò
civitas ad Burgundiam pertinet, p. 431. edit. Pi-
ſtorianæ.* Qvæ cauſa eſt, qvòd Adelmus Bur-
gundiam *Alemanniæ conterminam* ſcripſit, *A.*
DCCC XXIII. De Ungarorum ex Alſatia in
proximam Burgundiam tranſitu, irruptioneq;
vid. *Ekkehardus junior cap. 5.*

8. De Alemannia longum eſt dicere, præ-
cipuè ſi qvibus illa ſpatiis contineatur, qvibusq;
fini-

finibus ab unaqvaqve vicinarum regionum diſtet, commemorare inſtituam, cum qvòd ejus populi ſemper incertæ ſedes variæqve migrationes fuerunt, tùm qvia tot acceſſiones deminutionesqve finium ibi factæ ſunt, ut vix in Alemannia reperiri poſſe Alemanniam, multi nec ineruditi viri arbitrentur.† Sed omittam in præſens vetus Alemanniæ regnum * qvippe exhauſtum bellis olim atq; penitus everſum: tantùm de Sveviæ ducatu, in qvantum Alemanniæ ** nomine inſignitur, addam, ſæpe de ejus limite acriter qvoq; eſſe diſceptatum, Alſatiæne an Alemanniæ, an Rauratiæ pars haberi debeat. *** Primum Habsburgii, alterum Zaringii, poſtremum Epiſcopi Baſileenſes omni contentione animi propugnarunt, qvod præcautum proviſumq; à Gallis eſt, qvando de Alſatia in ſatisfactionem ſibi danda cum Ferdinando III. paciſcebantur. Etenim ut maximè videri poſſet, Bre-

† *Gaſp. Barthius in Guil. Britonem lib. 1. Philipp. p. 36. ſingularem librum de eo argumento promiſit Melchior Goldaſtus, qvẽ omninò deſideramus.*

* *Deſtructum atq; in provinciam redactum eſt à Clodoveo Francorum rege. Gr. Turon. l. 2. cap. 30. conf. Cruſ. part. 1. annal. Suev. l. 8. cap. 9.*

** *Otto Friſing. lib. 1. cap. 8. Valafridus Strabo de Vita B. Galli in (prologo.*

*** *Seb. Munſt. Coſmog. l. 3. cap. 57. Chr. Urſtiſius Baſil. Chron. lib. 2. cap. 20.*

Breſacum inter avitas patrimonii Habsburgii acceſſiones numeratum, Alſatiæ ſuperioris antiqvisſimam eſſe portionem: tamen ut omnem dubitandi occaſionem præciderent, certumq; jus conſtituerent, qvippe non obliti, propter mutatum Rheni alveum * ejus oræ limitem haud ſeptum ſatis munitumqve fuiſſe: convenit, ut diſertè & ſeparatim in ceſſionis inſtrumento exprimeretur, ** ſiqvidem fraudi eſſe poſſet, ſi ſub nomine tituloqve Alſatiæ unà ejus facta abalienatio intelligeretur: propterea qvòd in ceſſionum inſtrumentis per ſtrictas interpretandi rationes minimè talis ceſſio admitti poſſet, qvâ pro conjunctis haberentur, qvæ revera ſeparata diſſimiliaqve eſſent. Cujuſmodi eſt controverſia, qvæ nuper Gallos inter Hiſpanosqve orta, *** uſqve ad hodiernum diem ducitur, qvanqvam melior eſt cauſa Hiſpanorum, non incerto, neqve fallaci fundamento innixo.

* *V. I. G. Kieffer de Domo Auſtr. qvæſt. 26.*

** *Inſt. Pac. Monaſter §. Tertio imperator.*

B rum

*** *Pax Aqvisgranenſis §. 2. 3. cujus occaſione lis cæpta eſt de* dependentiis, *ut vocant, caſtrorum Conde, Linke, non ſecùs atqve anno 1658. ſuper inſula Huena inter Danos Svedosqve in pari* dependentiæ *argumento controvertebatur.*

xorum, qvòd apud omnes gentes hæc interpretandi ratio recepta ſit, ut *generali ſermone ne intelligatur, qvod expreſsè ſpeciatimq́; eſt nominandum, præſertim in alienationibus, alioqvi odioſis, & ſtrictè explicandis.* Neqve id non valet in donationibus, ut rectè ab Hugone Grotio traditum eſt lib. II. *de jure belli & pacis cap. XVI. n. 3.*

9. At qvia hæc uberiùs tractare non vacat, nunc danda mihi opera eſt, ut veteres Alſatiæ res paulò ab ſuis principiis repetam, & priusqvam ad reliqva progrediar, admoneam, pervetuſto *pagi Eliſatii* nomine in priſcis Francorum monumentis celebrari. In ſupremis Karoli M. tabulis appellatione Auſtriæ includitur, qvia exploratum eſt, Auſtraſiam, cujus Alſatia pars eſt, antiqvitus dictam eſſe Auſtriam, *apud Fredegarium cap. 100. Aimoinum lib. 4. c. 11.* Neqve eſt, ut prætereamus, titulo comitatus auctam, ſigillatim nominari, cujus rei cum multa documenta ſint, tum explicatè abundanterq; conſtat ex *tabula pacti diviſionis, inter Karo-*

lum

*um & Hludovicum anno D CCC LXX. initi, a-
ud Petr. Pithœum p. 489. Frodoardo, uno inter
qvales ſuos fide auctoritateq́; maximè ſpectato,
d A. D CCCC XXXIX. Aimoino lib. V. cap.*
XXV. Qvæ teſtimonia qvin rata firmaq́; ſint,
iullus dubito, & opportunè nunc recordor,
Hludovico Pio *in Aliſatiam profecto* res haud
eliciter cecidiſſe, propterea qvòd ibi ſplendor
tqve majeſtas ejus valde imminuta, & magna
pſius beneficia majoribus maleficiis compen-
ata ſunt, uſqve eò ut loco dimotus, velut ſup-
plex miſerationeqve plenus, proſtratæ imperii
uctoritatis exemplum eſſet, *annal. Franc. A.*
D CCC XXXIII. In diplomate Trudbertino,
qvod auctoritate Arnulphi imp. corroboratum
eſt, Alſatia, qvæ tunc ſine dubio in Comitatum *
deſcripta erat, ſine adjectionè nominatur.*

* *Nithardus l.3. Eliſazam nominat, in qua Tabernas per Zabàrnam deſignat.*

10. A Francorum monumentis diſceden-
ti venit in mentem Everhardi, minimè dubii &

B 2 qvem

* *Aliſontia, cujus meminit Auſonius, Moſell. 371. non regionis, ſed fluvii nomen eſt, qvi qvarto ſupra Confluentiam lapide ſe in Moſellam exonerat, diverſus ab eo, qvi in ducatu Luzenburgico, Suræ fl. jungitur: neqve cum Alva, ſive Albe, qvem Moſella in regione Trevicorum excipit, confundendus. Ab eo dictus videtur pagus* Alienzgowe, *famâ hujus nominis vetuſtateqve inclutus, V. Freherus in Moſell. h. l.*

certis argumentis explorati Alſatiæ Comitis, qvem *Chronica Auſtralis*, qvæ dicitur, hoc nomine tituloqve appellavit, ut ab Everardo Francorum cautè diſtingvatur, A. DCCCC XXXIX. Qvod tamen non eò pertinet, ut negemus, Alſatiam aliqvando in ditione poteſtateqve Ducum fuiſſe, ſed ut intervalla temporum perſonarumqve rectè partiamur, qvi alioqvi multis rationibus documentisqve confectum habeamus, fuiſſe tempus, qvùm Alſatia poſt Comites etiam Ducibus pareret. Illudq; cur dignum cenſeamus, ut commemoretur, præcipuè effecit Detmarus Merſeburgenſis, qvi libro qvinto hæc ſcribit. *Dux autem ut audivit ſua à rege prædata, nondum volens homiliari, ſed, proh dolor, contra dominum & regem exaltans ſe, caput ducatus ſui Argentinam, qvæ Strasburg dicitur,* qvia Epiſcopus ejusdem urbis VVicelinus ſibi reſiſtere præſumſit, cum Conrado ſuimet genero, milite petit armato, muroſqve aſcendens, nil victis reliqvit.* II. Cæ-

* *Amm. Marcellino Argentoratus lib. 15. in diplomatis Francorum Strazburgus, ſive Strasburg annal. Fr. Pith. A. 842. Strasburgenſis urbs Regin. A. 805. Argentaria apud Nithardum l. 3. Argentinā interpretatur Aimoinus lib. 5. cap. 25. Nunqvam Epiſcopos dominos habuit, ſed ab imperatoribus & regibus, qvondam per Advocatos regebatur, qvi non ſunt confundendi cum advocatis generalibus, ſive imperialibus, multò minus cum Advocatis Alſatiæ provincialibus; ſed advocatia Urbis Argentoratenſis dudum deſiit: alius generis eſt X. Alſatiæ civitatum, de qvibus vid. inſtr. pac. Monaſt. §. itemq; dictus.*

11. Cæteroqvin dum ſub jurisdictione comitum regebatur, ſæpe in antiqvis ac lucuentis tabulis ſine adjectione *Eliſatium* nominaur, cujuſmodi eſt, qvod *anno DCCCLXIIX.* ſcriotis mandavit Otto I. imperator, & vindicatâ Auſtraſiâ non magis de Alſatia, qvæ illius pars ſt, qvàm de Germania, ad cujus ditionem utraqve pertinet, meritus. *V. Orig. Palat. Freb. art. 2. p. 82.*

12. Qvapropter non ferunt noſtræ rationes, ut iis aſſentiamur, qvi Alſatiam, qvam Auraſia inde ab anno DCCCXLII. concludit atve comprehendit, Ducatus Alemanniæ ditione ircumſcriptam, incertas fabuloſasq; origines ecuti putant. Utcunqve enim aliqvando Prinipum Alemanniæ fortunam ſecuta fuerit, & atum famamqve eorum auxerit, non tamen ropterea ipſis obvenit ex eadem cauſa, qva ucatus Alemanniæ: multumqve abeſt, qvo miùs Alemanniæ nomine proprio atqve uſu ſerioneqve hiſtoricorum recepto Alſatia contieatur. * In qvo negotio ut deſeramus *Gaſpaem Bruſchium*, virum alioqvi in omnibus no-

* *Alioqvi non modè abuſivè multi notione Alemanniæ, ſed etiam Alſatiæ utuntur: ut qvando Henricus Stero Urbem Nemetum Alſatiæ civitatem vocat, A. M. CCXCI.*

titiæ Germanicæ partibus verſatum, etſi pleræqve ejus ſententiæ judiciaqve à rebus, qvas pertractat, diſſentiunt, neqve ab exqviſita ratione diſciplinaqve civili ſemper proficiſcuntur.

13. Inſeqventi tempore nomen *ducatus* cum nomine dignitateq; *Landgraviatus* commutatum eſt, qvod cum inſpectis ſeculi XII. tabulis notiſſimum ſit, tùm certa compertaqve documenta proferre poſſum, ex qvibus intelligitur, Habsburgios vergente hoc ſeculo acceſſione tituli Landgraviatus Alſatiæ famam exiſtimationemqve ſuam amplificaſſe. Excepto qvòd de primo ejus ſumti tituli initio difficultas nonnulla ſupereſt, neq; inter ſcriptores, in qvorum æqvali continuataq; diligentia plurimum deſidero, convenit, qvis tandem ille ſit, cui hæc primordia accepta referantur. Ego ſtudii odiiqve cauſas procul habens, Guntramno diviti, Habsburgiorum conditori,* hæreditate comitatus Vindoniſſæ aucto, novisqve bonis fulto, multum ex ea re dignitatis potentiæqve acceſſiſſe fateor, ſed primum fuiſſe, qvi Landgra-

**Guntramnus ab Ercbinoaldo, ultimo hujus gentis ſtipite deſcendit, à qvo dicitur linea Ercbinoaldina, unde oriundi ſunt Habsburgi, cui vetuſtate reſpondet Arnulphina, à qva oriuntur Carolingi. Infra vetuſtatem utriusqve eſt linea Capetingica.*

rii Alſatiæ titulo uteretur, adeò non comper-
um habeo, ut qvoqve firmis argumentis con-
rarium demonſtrare poſſim. Eqvidem regnan-
e Ottona I. cui ſuppar Guntramnus fuit, nul-
um vel veſtigium *Landgraviatus Alſatiæ* defi-
iite ſic appellati invenias, ſive diplomata, ſi-
e *chartas*, ſive omnes, qvotqvot incorru-
ti etiamnum durant, commentarios evolvas.
De cætero Guntramnus in vivis eſſe deſiit anno
)CCC XLVI. * qvo nec dum Otto I. Roma-
iorum imperator fuit, nec Romanorum impe-
atoris titulum ſumſit, neqve ante annum
)CCCC LXII. ſumere ulla juris ſpecie potuit,
ut voluit. Atqvi ſub id tempus vel Alſatia ſi-
ie adjecto comitatus ** nomine, vel duntaxat
Comitatus dicebatur.

** V. Genealogia Guntramni, à Guillimanno collecta, & Chronico Conſtantienſi à Jo. Piſtorio inſerta p: 671. ſeq.*

14. Jam Guntramnus ex tanta tamqve
præclara hæreditate inſignem utilitatem, qvæ
haud parvum firmandæ ejus ſucceſſorum po-
ten-

*** Non eqvidem me latet, ſeqvioribus temporibus Comitis nomine ſine adjectione poſito intelligi interdum. Comitem provincialem, apud Monachum Lauterburgenſem, ad A. 1130. ſed id non eſt ex uſu Ottoniani ævi.*

tentiæ inſtrumentum fuit, conſecutus, ſumendi *Comitis Alſatiæ* tituli facultatem habebat. Verùm id parco titulorum ævo ſive ob moderationem tempori convenientem, ſive ob vitandas fortè æmulationes contentionesqve multò pòſt uſu venit, primusqve cœpti hujus inſtituti annus MCLXXXVI. illuſtre atqve ad poſteros inſigne documentum attulit, excitato ſanè ad augendam familiæ gloriam Adelberto, ut jure auctoritateq; ſua fretus *Landgravii Alſatiæ* titulum auſpicatiſſimè ante omnes alios uſurparet. Qvod nec inficiari auſus eſt David Blondellus,* vir omnis qvidem antiqvitatis ſcientiſſimus, ſed Gallici nominis caritate in contrariam ſæpe ſententiam abreptus, ut non tam veritatis qvàm æmulationis cauſa certa qvædam & firmis monumentis rationibusq; conſtituta hiſtoriæ civilis capita in dubium vocaverit, & inde etiam laudem captaverit, ubi ſpem occaſionemqve haberet diſplicendi Auſtriis, & detrahendi de gloria imperii Romanorum.

* *In præfat. Apologet. contra Alſatiam vindicatam Johannis Jacobi Chiffletii.*

15. Is ab animo partium ſtudio impedito impe-

impetrare non potuit, ut Alſatiam in rebus ad patrimonium Habsburgicum pertinentibus numeraret. Cujus ratio qvalis ſit, verba ſubjecta oſtendent, qvibus oppugnat noſtram ſententiam. *Duo tamen*, inqvit, *hoc lôco notaverim, eorum* (Habsburgi Comitum) *Landgraviatum patrimoniale dominium non fuiſſe, qvandoqvidem principalis eorum titulus fuit Comitatus Habsburgi, acceſſorius verò Landgraviatus; qvem priori ipſimet ſubjungunt.* Sed dum ita ſtatuit, neqve colligit rectè, neqve judicat ſincerè, propterea qvòd ſtructura titulorum ad liberam gentium inſtituta pertinet, qvam cum Habsburgii, antiqvisſimi totius Germaniæ Comites, arbitratu ſuo qvondam adornarunt, tùm honori ſuæ gentis, non fraudi eſſe voluerunt. Etenim eo tempore, qvò primùm aſciverunt ſibi Landgraviatus Alſatiæ titulum, ipſis fuit interum, præponere eum, aut poſtponere, qvem tamen perpetuo uſu ſummoq; conſenſu titulo Comitatus Habsburgici poſtpoſuerunt. Qvod qvamobrem factum ſit, exiſtimo non aliam

ſubeſſe rationem, qvàm qvòd *Landgraviatus* Alſatiæ definito hoc principalis dignitatis nomine *charactereq́;* ſumtus, ad patrimonium Comitatus Habsburgici jam diu ante conſtituti adjunctus, atqve ex diverſa cauſa, & longo pòſt tempore acqviſitus fuit. Proinde ad acqvirendi ordinem temporisq́; notationem ſpectat, qvòd Landgraviatus Alſatiæ jam antiqvisſimo inde more inſtitutoq; titulo Comitatus Habsburgici ſubjungitur. Non ſecùs atqve apud cæteros Germanos ſolet, qvod vel exemplis *Ducatus* Saxoniæ, & *Marchionatus* Brandenburgici declaremus. Utrisqve enim poſtponuntur nomina *dignitatum officialium imperii atq́; electoratuum*, nec propterea tamen hæc illis inferiora ſunt, aut pro acceſſionibus, ut loqvuntur, *non patrimonialibus* horum principum Electorum habentur. Idq́; tam multis ac veris indiciis aliis mihi eſt perſpectum, ut ne qvidem dubitare liceat, illo Landgraviatus Alſatiæ titulo civile imperium, ſive ut Blondellus nominat, *patrimoniale dominium* fuiſſe deſignatum.

16. Nec

16. Nec dum ab ea mente deſiſtit Blon-
ellus, libenter & cupidè inſtitutum perſeqvens,
vod antea neganti, nunc etiam dubitanti ido-
eum videtur. Qvod cujuſmodi ſit, ex ſeqven-
bus licet intelligamus. *Landgraviatum illum*
ergit) *nec Alſatiæ totius, nec fortè hæreditari-*
m fuiſſe evincit fragmentum vetus Alberto Ar-
ent. præfixum, qvo docente A. D. *1236. Henri-*
um Comitem provincialem Alſatiæ *ſine hærede*
enatum diſcimus; *qvo tempore* Albertus *Ru-*
olfi regis parens vivebat. Sed fruſtra obniti-
ır Habsburgiis, neq; ideò res Auſtria in diſcri-
ine eſt, qvòd ſenſim auctoritate atqve opibus
revit, & diverſo tempore plures amplioresq; imperii acceſſiones habuit, & ſecundis, qvas in divinis beneficiis ponit, rebus uſa ſic ſe extulit paulatim atqve firmavit, ut magnitudine potentiæ dignitatisqve in omnes orbis terrarum partes longè ac latè ſe diffundat. Nam & in par-
tis rationibus jus ineſt, & pro certa portione
iam aliqvid rectè poſſidetur, conſtatqve Au-
rios jure ſtirpis ſangvineqve ad cernendam

Landgraviorum Alſatiæ Habsburgo-Auſtriorum ſeries atq; ſucceſſio vid. lib. 8. p 409. ſeqq. apud Lazium. Qvanqvam & ibi more ſuo fabulas admiſcuit.

Hen-

Henrici, ultimi ex comitũm Egesheimenſiũ propagine *Landgravii*, hæreditatẽ proximos fuiſſe, & qvod antiqvi annales ferunt, ipſos qvoqve Egenheimenſes, qvorum caſu adverſo orbitateq; tandem deletus eſt principatus, ab ſtirpe Habsburgiâ deſcendiſſe, ac morte ſuâ Alberto Sapienti Habsburgio jus, qvod neq; vis, neq; temporum invidia eriperet, certum efficaxqve ad ſuccedendum reliqviſſe. At verò qvando familia Egesheimenſis defecerit, ſententiis rationibusq; diu eſt variatum. *

17. Haud

* *Wolffgangus Lazius, numerat annum M CC XXXVIII, de gent. migrat. lib. 3. pag. 93. Alii diverſum ſentiunt, & multum de his rationibus detrahunt, annum M CC XVIII. computantes, inter qvos nuper fuit auctor phoſphori Auſtriaci, part. 2. cap. 14. Ego iis me adjungo, qvi familiæ Egesheimenſis terminum in anno M CC XXXVI. ponunt, auctoritate fragmenti veteris, qvod in aditu operis, titulo chronici Argentinenſis inſcripti eſt conſpicere, qvod cujus pretii ſit, non attinet nunc inqviri. Alioqvì multa mihi oblata ſunt diplomata, in qvibus Comites Habsburgii poſt Epiſcopos & Principes, qvin etiam poſt Kyburgenſes comites collocantur: qvod fortè novum poſſet eſſe cauſæ Blondellianæ præſidium, niſi mihi compertum eſſet, talia, etſi vera, cæteroqvin ducenda habendaq; ſunt, non continuò valere ad aſſerendam prærogativam, ubi cauſa prærogativæ non diſceptabatur. Recordor enim aliàs in tabulis pactorum, atqve diplomatis aliis ſæpe legiſſe eos antepoſitos, qvi in judicio controverſiæ præcedendi maximè poſtponi debuiſſent. Atqve eò allegare liceat transactiones inter Epiſcopos & Duces initas, in qvibus hos qvoqve illis præpoſitos invenias, ſalva alioqvin cujusqve dignitate & præcedendi jure.*

17. Haud rectius cenſeri debet, qvòd Blondellus, ubi in opinionem contrariam diſceſſit, conatus eſt probare, Alſatiam non modo ſub Habsburgiis non fuiſſe hæreditarium principatum, ſed ne qvidem *regni Germanici proprie dictum membrum* poſſe appellari. Qvod erroris culpa non vacat, atqve ejuſmodi eſt, ut appareat, eum in hac cauſa ſincerè ſcribendi vel nullam, vel ſanè exiguam rationem habuiſſe: qvippe qvi neſcire non potuit, Alſatiam ab eo tempore, qvo imperium Karolinum partitis rationibus à Hludovici pii filiis poſſideri cœptum eſt, à conſociatione Gallica ſeparatum, atq; ab ævo inde antiqviſſimo ſemper atq; ſine dubitatione ditionis Germanicæ fuiſſe, & lingva, moribus, inſtitutisq; ſimilibus in unam gentem nationemqve coaluiſſe, ac ſub regum Germaniæ auſpicio imperioq; floruiſſe, nec non jura juſſaqve ab iis deſcripta coluiſſe, & ſi eos minùs digne reverenterq; tractaſſet, atq; ab officio diſceſſet, lege imperii ad obſeqvia redactam, ſub uno Tevtonici populi nomine atqve communi

V. Regino an. 842. 855. 869. 886. Continuator Reginonis an. 923. qvo Carolus ſimplex Alſatiam, qvæ in Ludovici Germanici poſteris permanſit, ſibi deſtinavit, ſed non obtinuit, & paulò poſt ipſam qvoqve Lotharingiam vero ſuo domino Henrico Aucupi reſtituit.

jure fidem ſervaſſe. Qvibus indiciis atqve rationibus planè aperteqve declaratur, Alſatiam ſine contumelia Germanicæ jurisdictionis, ac ſine evidenti injuria erga divos Cæſares regesqve à Germaniæ membris propriè nominatis divelli non debuiſſe atqve ſeparari. * Qvod luculentis documentis, qvæ magno numero in promtu ſunt, conficere poſſem, ſi mihi conſilium eſſet, hæc longiùs proſeqvi, resqve amplius inſtitutum ferrent. Tantùm ſufficiant, qvæ in eam rē prodita ſunt à Frodoardo *Chron. an. 928. 939. 940.* VVitichindo Corbejenſi *annal. 1* Ottone Friſingenſi *Chron. lib. 6. cap. 18. 19.* Sigeberto Gemblacenſi *an. 923.* qvi graviter atq; diligenter annotarunt, partem Lotharingiæ, qvam Carolus ſimplex, extincto ſine liberis Ludovico Franco-Tevtonicæ propaginis, qvæ per Hludovicum Germanicum deſcendit, ultimo, regibus Germaniæ, ad qvos jure pertinuit, præripuerat, Henrico Aucupi, tanqvam legitimo & ſupremo ejus domino redditam, ** ac pôſt ab Otto-

ne

** Nam ſive proximè, ſive interjecto alio aliqvid alicui ſit conjunctum ſanè pars erit, ſi eâ conjunctione fiat, ut aliqvid totius ratione cenſeatur. Atqvi Alſatia fuit Lotharingiæ tanqvam inſignioris Germaniæ membri membrum; proinde & certæ rationis, & manifeſti juris eſt, Germaniæ tã qvam integri & perfecti civilis corporis membrum fuiſſe. V. infra.*

*** Per idem tempus factum eſt Bonnenſe ceſſionis inſtrumentum qvod anno D CCCC XXI. inter Carolum ſimplicem & Henricum*

Aucupem factum eſt, idqve reſpicit Friſing. l. 6. Chr. cap. 18. dum Belgicam, id eſt, Lotharingiam Henrico Aucupi ceſſam memorat. Primus autem inter Franciæ occidentalis ſeparatæ reges Carolus Calvus, diviſione alieni patrimonii, qvod mortuo ſine liberis legitimis Lothario juniori, Ludovico II. imp. debebatur, cum Ludovico Germaniæ rege, ad qvem demùm extinctâ Lotharii ſenioris imp. propagine jure pervenire debuit, anno D CCC LXX. accepit: deinde anno DCCCCXII. mortuo Ludovico, Arnulfi filio regum Germanicorum familiæ Carolinæ poſtremo, Carolus ſimplex Caroli Calvi nepos Lotharingiæ regnum invaſit, ac poſtea Bonnæ D CCCC XXI. Henrico Aucupi, tanqvam vero & legitimo Germaniæ regi, ad qvem ex cauſa primorum acqvirentium regum Germaniæ jure ſanè pertinebat, ſolenniter ceſſit attribuitqve.

ne M. vindicatam fuiſſe. Non me piget referre Sigeberti verba, qvòd non modò iis pax fœdusqve, qvæ pactione Bonnenſi continentur, ſed etiam ceſſio Lotharingiæ unà ibidem facta ndicatur. *Reges Henricus* (Auceps) *& Carolus* (ſimplex) *apud Hunnam confœderantur, Carolusq́; reddit Henrico regi regnum Lotharingiæ, epiſcopis & comitibus utrinqve jurando rem confirmantibus.* Unde expeditum eſt intelligere, & *fœdus*, & *ceſſionem* in conventu Bonnenſi eſſe factam: deinde iſthac ceſſione Henricum qvà regem Germaniæ, atq; adeò poſtliminiò & nomine ditionis Germanicæ Lotharingiam receiſſe. *Fœdus* exprimitur in eo inſtrumento & nomi-

minatur *unanimitatis pactum*, *ac ſocietatis amicitia quæſita repertaq́ȝ*. *Ceſſio* ex hiſtoria colligitur atqve demonſtratur. Qvod de *confirmatione* epiſcoporum Comitumq; memorat, id rectè ſibi conſtat, & ſubſcriptis eorum nominibus qvoq; comprobatur. Niſi qvod anni numerus, qvem init Sigebertus, eventis non reſpondet, qvo errore aliàs minimè vacat, & mendum ſine dubio à librario eſt admiſſum, dum *Hunnam* (qva Unnam Comitatus Marcani urbem denotatam eſſe, videri poſſet) ſcripſit, cum nullus eorum regum conventus, qvi qvidē apud Unnam habitus ſit, ab ullo vero atqve antiqvo ſcriptore commemoretur, omninò autem ejus apud Bonnam habiti certa atq; luculenta ſint documenta. Suffragatur Friſingenſis, & per antiqvum illud ac propter duorum regum conciliationē inſigne ad poſteros atq; famâ celebratū pactum copioſiùs exponit, *lib.6.chr.cap.18*. Qvapropter Alſatia, omninò propriè *membri Germaniæ* nomine continetur, qvia uno qvondam ſummo imperio continebatur, & qvod à tempore

pore

ꝛre ultimorum Germaniæ regum in Ger-
ania, tanqvam integro, jus valuit, idem in
ſatia, tanqvam membro, unâ gentis jurisqve
cietate cōjunƈto omni ſeculorū memoriâ ſem-
r valuiſſe intelligitur, certo *membri* ſive *partis*
gumento, cum, *qvod eſt pars partis, non*
ſit non eſſe pars totius, & qvod juris eſt in
o, idem eſſe in totius parte, omni ratione,
juris etiam præſcripto formulaqve videatur.
vod ita evidens eſt atqve certum, ut Otto M.
irmaverit, *juris regni* ſui eſſe *Eliſatium*, *in ta-*
lis anno 968. confeƈtis: & in ordine ac numero
gionum Germaniæ ab Henrico Aucupe de-
iſſarum repoſuerit Sigebertus, *an. 922.* & ipſam
mùm Lotharingiam *provinciam Teutonico-*
m appellaverit Friſingenſis, *lib. 6. chron. c. 19.**

15. Etſi verò Alſatiæ ſtatus ſæpe varius
rtunaq; interdum inclinata fuit, tamen ſub
ermaniæ regibus ſtetit ſemper atqve floruit,
nec publicæ qvietis cauſa regi Galliæ, cui ob
um ac propinqvitatem utilisſima eſt, nomi-
ſatisfaƈtionis A. M DC XLIIX. traderetur,

* *V. Liutbprandus Ottoni I. ſuppar, & conſiliorum ejus rerumqve ſcientisſimus, hiſt. lib. 4. c. 14. ubi juſtitiam belli Alſatici Otto verbis ipſe ſuis expoſuit ad milites. Continuator Reginonis A. 939. ubi* Briſacenſes Caſtellanos *in fidem clientelamqve Ottonis rediiſſe teſtatur. Fuit alioqvi Breſacū apud Germanos fere, qvod apud Romanos Cteſiphon, expeditionibus fatalis, & jam in Antonini itinerario memoratum nomine MONTIS BRISIACI.*

ita

ita ut eam ſupremo jure haberet, & cum finitima Germania pacem concordiamqve coleret. Cujus rei cauſæ cum fuiſſent omninò multæ & gràves, tùm pro conditione illorum temporum hanc conciliationis rationem iniri oportuit, qvæ carè Auſtriis conſtitit, cum qvòd eâ re ipſi magnam aviti patrimonii partem, tùm qvòd Germani, qvi Rhenum accolunt, præſidium ſecuritatis ſuæ amittebant. Qvæ ceſſio Hiſpanis adeò permoleſta accidit & acerba, ut contra obteſtantes pro jure ſuo, qvippe qvòd naſcendi ſorte ſangvinisqve jure acqviſitum, invitis ac nil tale meritis ſuis regibus auferri non poſſet, ſtrenue anniterentur. * Eo conſilio pacis pactionem apud VVeſtphalos factam, in qvantum in capite ceſſæ Alſatiæ juri ipſorum contraria erat, omnibus modis oppugnabant, & ut rectè atq; ordine hoc inprimis arduum & forenſe negotium perficeretur, cauſæ defendendæ partes eodem anno, qvo expetita Europæ pax coaluit, *Petro*

tro

* *Ludovicus Mendez de Haro, prudentiſſimus Conſilii Hiſpanici Adminiſter, ceſsâ Galliis Alſatia, Germaniam compedibus vinctam, graviter cenſuit. Sed illa ceſſio neceſſitate, qvæ legem non habebat, excuſanda, neqve tamen diſſimulandus occultus erga eam metus Gallorum, inprimis qvando pacem Weſtphalicam, qvâ tuto inniti poterant, à nemine læſi ruperunt, & culpa ſua ipſi ſe jurium per eam partorum ſecuritate privarunt, ſiqvidem hæc talia pacta ſemper conditiònem habeant capitum conventorum ab altera parte præſtandorum: Ut ita demùm in futura pace robur præſidiumqve ſuperioris pacti ſit collocandum.*

tro VVeimio ad conventum Monaſterienſem legato impoſuerunt, qvi publico decreto intercederet, & uſitatâ ritus juridici formulâ prædictum ceſſæ Alſatiæ caput injuſtè factum diceret, & cur à rege ſuo admitti non poſſet, cauam ſolenniter indicaret. Altero poſt anno, qvàm pace rebus Europæ conſultum erat, *Johannes Cuyermanns* rurſus contra obtetandi mandatum accepit, muneris ſui non immemor, ac in tali cogitatione defixus, ut ceſſioem, qvamlibet ab ſumma poteſtate factam, receret prorſus, ac publica contradictione deruerent, irritamqve fieri poſtularet. Hunc ſecuus eſt vir doctus, & rerum Hiſpanicarum aprimè peritus *Johannes Jacobus Chiffletius*, *eves & archiater* ſui regis, qvi Hiſpanorum jus, vod qvidem ad ipſos ratione Alſatiæ & Sundoviæ pertineret, ſingulari libro, qvi *Alſatia indicata* inſcribitur, tuendum propugnanmqve ſuſcepit: Propterea qvòd id de ſenten Hiſpanorum tale eſſet, ut tranſigentium artrio ad inferendum domui Burgundicæ da-

Extat apud Chiffletium in Alſat. vind. cap. 12. unde repetit Limnæus annot. ad capitul. Leopold. pag. 902. ſeqq.

mnum

mnum permitti non debuiſſet, ut qvæ ibi & conſtitutum rectè patrimonium, & hæreditarium inſuper patrocinium antiqvâ & juſtâ poſſesſione firmatum obtinuiſſet. Qvæ prætenſio, qvanqvam tranqvillitati publicæ remitti debuit, tamen mox velut claſſicum majoris belli inter Gallos Hiſpanosq; fuit, ac diu incertâ eventus expectatione omnium animos ſuſpenſos tenuit, uſq; dum pace apud Pyrenæos montes inter utroſq; reges inſtaurata, illa ſanè temporum miſeriâ difficilis & multi ſangvinis impendio agitata controverſia, anno M DC LIX. finiretur. Jam certa tranqvillitatis in Alſatia retinendæ ſpes erat, ſi neqve ulla cuiq; fieret moleſtia, neq; iniqva conditio ferretur. Sed qvia ſubinde à præfectis regis poteſtate ſua abutentibus multa ſuſcepta ſunt, qvæ juſtis de cauſis decem *imperiales* civitates recuſarent, & ut de qverimoniis ſuis cognoſceretur, impetrarent, res ea genti in dominatum incumbenti vehementer cœpit eſſe ſuſpecta. Nihilo ſeciùs Germaniæ grave erat hoc diſſidium, ut qvæ maximè vellet cuperetq;

ſer-

ſervari pacem, & nil minùs optaret, qvàm dari ſibi cauſam, qvâ ad bellum excitari poſſet. Idcirco rex ſubinde monitus rogatusqve eſt, ne pateretur præfectos contra transactionem VVeſtphalicam admittere, nec ſineret, ut ceſſionis capita bonâ fide approbata ad alieni juris fines porrigerentur. Atqve illuc valuit conſilium, qvod imperiales X. Alſatiæ civitates, & Ordo eqveſtris anno cIↃ Icc LIIX. qvo Enſishemii tribunal, qvod vice regis judicaret, inſtitutum eſt, opportunè iniverunt, & per delegatos idonea juris formula libertati privilegiisqve ſuis caverunt, adductis in eam rem argumentis, qvibus docerent, ampliorem illi tribunali poteſtatem attribui, qvàm per pactum Monaſterii conventum liceret: ad hæc fas æqvumqve eſſe, ut Galliæ rex in Alſatia non plura jura ſibi arrogaret, qvàm domus Auſtria, in cujus locum ſucceſſiſſet, ibi qvondam habuiſſet: idqve ut fieret, cum ad firmandam pacem, tùm ad juſtitiam pertinere, nec poſſe ſe diſcedere à veſtigiis majorum, qvi omni jure & ſemper cognitionem

** Diar. Europ. ad A. 1658. d. 25. Octobr. ſubmiſſa proteſtatio contra Edictum pro novo Alſatiæ Parlamento A. 1657. in urbe Metenſi promulgatū, ibidem: ex eoqve H. Brew. hiſt. decennal. lib. 3. p. 289. Fuit alioqvi jam olim Enſisbemii ſenatus Alſatiæ ab Auſtriis conſtitutus, uti Haganoæ præfectorum, ſive Advocatorum provincialium Alſatiæ tribunal: eam urbē Fridericus Ænobarbus valdè excoluit, & muro prealto circumdedit. Conf. Thuan. hiſt. ad A. 1552.*

nem tribunalis provincialis defugiſſent. Nec dum verò talium diſceptationum optatus exitus fuit, ſed anno cIↄ Iↄc LXII. ſuperior controverſia cum qvadam acerbitate denuò excitata, & vis etiam libertati facta eſt, unde & turbandi ejus limitis non vana ſuſpicio & periculum crevit, neqve ſic tamen omiſit Germania pro retinenda concordia anniti, & ſummâ ratione ad tollendas eas lites conſilium operamq; contulit. Inde tractum diſceptando tempus, & qvia rex ſupremæ præfecturæ titulo, contra jus inveteratumqve morem jusjurandum talibus verbis conceptum, qvod reipſa civile obſeqvium & *ſubjectionem* denotaret, à X. illis civitatibus exigere pertendebat, magni labores imperii & arbitrorum eò delectorum ſuſceptæ conſultationes impendiaqve omnia irrita fuerunt. Rex enim auctoritate ſua cupiens finire controverſiam, non paciſcendo, qvomodo cum civitatibus alienæ ditioni ſubditis agi oportuit, ſed jubendo rem totam perficere ſtatuit, factusqve ab iis alienior anno præcipuè cIↄ Iↄc LXX, qvo

appa-

apparuit, qvalis animus regis eſſet, vim parantis, ſi formula, qvam præſcripſiſſet, repudiaretur. Nec dum verò iſtius litis rationes expeditæ ſunt, poſtqvam bellum Lotharingicum eodem tempore occultè atqve diſſimulanter comparatum, magnam inſeqventis converſionis ſignificationem dedit, & non dictis modò civitatibus, ſed Germaniæ etiam pro finibus ſuis anxiæ, & qvo iſta regis irruptio ſpectaret, ſolicitæ metum intulit. Etſi verò nil omiſſum eſt cum reducendæ pacis, tùm reſtituendi Ducis gratia, tamen rex violati pacti cauſas deſtinatis occultioribus ſpecioſiſſimè prætexens, neqve interceſſione, neqve legatione perſvaderi ac inflecti potuit. Jam utrinqve perſpici poterat, qvid ex regis finitimi actionibus ſperandum eſſet, & qvò nixa illa tantis opibus copiisqve conſilia valerent. Nec fallebantur opinione, cum anno clɔ Iɔc LXXII. Fœderati Belgii calamitate monerentur, ut nil moderatum à Gallia expectarent: qvod cum maximè ad curam Cæſaris auctoritatemqve Imperii pertineret,

ret, ſociorum Batavorum Principumqve imperii injurias negligere non potuit, gravibusqve adeò cauſis & tempeſtivis Hiſpanorum conſiliis inductus eſt, uti pro dignitate ſua, qvam læſiſſent Galli, & tuendis imperii juribus, qvæ immiſſo peregrino exercitu violaſſent, arma caperet, principesqve imperii, qvorum libertas petebatur, amicitia & fœderibus ſibi illigaret, ac honeſtis rationibus eò adduceret, uti uno animo atqve conſilio ſecum ſtatuerent, pro imperii hoſtibus habendos, qvi imperium nulla data cauſa oppugnatum belli moleſtiis vexâſſent. Qvo turbulento Germaniæ ſtatu decem illæ civitates, qvibus ſub tutela regis Galliæ tanqvam ſupremi earum præfecti omninò vetus libertas, conſtare debet, in multa & majora, qvàm antehac, pericula venêrunt, & ſub jugo belli Gallici duriter habitæ vehementerq; afflictæ ſunt: unde ut expediantur, redeantqve in priſtinum ſtatum, jure armisqve eſt annitendum, & ut cœpta Nimmegæ diſſidentium partium conciliatio feliciter ſuccedat, ac totum

qvo-

qvoqve hoc negotium rectè perficiatur, Germaniæ refert, atqve ad officium de pace deliberantium ſpectat, & Cæſaris præcipuè gloriæ convenit, ut reſpublica antiqvis legibus denuò firmetur, ac juſto bello dignam tandem ac publicè utilem pacem conſeqvatur.

*Præfectura ſive Advocatia Alſatica, qvæ in hujus argumenti diſqviſitione poſita eſt, eſt vel generalis, cujus tribunal olim Haganoæ conſtitutum fuit, vel ſpecialis & definitè in X. imperiales Alſatiæ civitates attributa, vel ſingularis, qvæ qvondam ratione Argentorati * conveniebat, & à Rudolpho Habsburgio empta, poſtea ceſſavit, qvàm auctore Ruperto Palatino civitates imperiales hoc onere liberatæ,* Vogtos *ſive* Advocatos *habere deſierunt. Generalis, facta etiam utriusqve Alſatiæ ceſſione, ab Hiſpanis ratione Ducatus Lucemburgici prætendebatur, poſtqvam ii ſuæ prætenſioni renunciarunt, pace apud montes Pyreneos inita §. 61. diu finem habuit, qvæ ſæpe mutavit præfectos, & nunc Pfirtenſes nunc Lutzelburgicos, nunc Palatinos, ac demùm Auſtrios habuit, cujus ratio hic non habetur, ſed ejus duntaxat, qvæ X. imperiales Alſatiæ civitates complectitur, qvæ ſalva ipſarum libertate & jure dignitateq́; à ſupremo imperii dominio pendente intelligenda eſt.* Inſtrum. pac. Oſnabrug. §. itemqve dictus. *Nam plurimum intereſt inter ſupremam & jure proprio ac nemini obnoxio competentem præfecturam, & inter imperium civile, ac verum ratione territorii conſideratum dominium. Illa ex pacto pacis Weſtphalicæ Galliæ regi ceſſa attributaqve eſt, hoc ſeparatam habet rationem, & inter ceſſionis factæ capita adeò non continetur, ut qvoqve diſertè ſejungatur. Unde intelligitur iniqvitas poſtulatorum Gallicorum, qvando talis jurisjurandi formula ab iis concepta eſt, ut in argumentum dominii ratione territorii competentis valeat. Etenim clarè copioſeqve probari poteſt atqve confirmari, nil præter*

E *domi-*

* *Argentoratum à tempore Ottonis III. Imp. ſalvis juribus & fidelitatis imperialis obligatione, à formula* jurisjurandi fidelitatis *Impp præſtandi prætendit ſe eſſe liberum, & conſvetudine perpetua hoc exemptionis privilegium, ſalva ceteroqvin obedientia erga ſupremum dominũ, contra qvem præſcriptionis præſidium non eſſet valiturum, tuetur. Eò vid. Epiſtola* excuſatoria *apud Lund. l. IX. Act. publ. p. 705. Diar. Europ. ad A. 1660.*

dominium advocatiæ & protectionis *ceſſum eſſe Gallo*, *propter qvod ſanè nullum* ſubjectionis *jusjurandum debetur. Etſi enim in dicto ceſſionis capite una cobarensqve ceſſio exprimitur*, *tamen unà diverſus translationis titulus indicatur*, *neqve à ceſſione* Landvogtiæ *inferendum eſt ad ceſſionem juris* immedietatis, *qvod dictis civitatibus ſub imperiali ſupremo dominio ſanè expreſsè luculenterq; eſt reſervatum. Neqve ab hac ſententia nos dimovent literæ, qvæ dicuntur, paritoriæ, vulgò nominatæ* die Gehorſams Brieffe / *qvippe qvæ ab Auſtriis*, *cum injuſta qvietaq; Landgraviatus Alſatiæ poſſesſione eſſent*, *non qvà illarum X. urbium imperialium Advocatis*, *ſed qvà auguſtis Cæſaribus ſcriptæ ſunt atqve promulgatæ. Itaqve ingrati erga imperium animi ſit*, *qvisqvis vim interpretationi adferat*, *ut præfectura provincialis fraudi ſit juri imperiali*, *qvo fundatæ firmatæq; ſunt hæ civitates*, *ad qvarum tuendam qvoqve dignitatem pertinet* capitulatio Leopoldina §. 8. verſic. ſo dann die ro. vereinte Reichsſtädt / *ubi inſtrumentum pacis Monaſt. per ſe lucis plenum declaratur iterùm atq; in hanc ſententiam explicatur. Itaqve Auſtrii Ferdinandinæ propaginis*, *Germaniqve ſteterunt conventis pace conditionibus*, *& majorem in modum cupiverunt*, *ut rex Galliæ par erga ſe ſtudium voluntatemq; declararet. Sed qvemadmodum id uſu evenerit*, *acta ſuperiorum temporum ſatis ſuperq; teſtantur*, *cum qvæ ſine conditione & clauſula Ferdinando Carolo Archiduci perſolvenda pecuniæ ſumma promiſſa eſſet*, *pòſt in conditionem pacto Monaſterii Weſtphalorum inito contrariam*, *atqve in ceſſionem ab Auſtriorum propagine Burgundica inſtituendam rejecerunt*, *neqve priùs ad implendum executioniq; mandandum hoc caput*, *& reddendas qvatuor* civitates ſylveſtres *teneri voluerunt*, *qvàm ſibi illo nomine plenè ab Hiſpanis*, *à qvorum* eventuali *ceſſione pactum Monaſterienſe minimè ſuſpenſum erat*, *ſatisfactum eſſet. Illud verò primò contigit pace apud Pyrenæos montes facta*, *non ſine dolore juſtiſſimo Archiducis*, *qvi jus ſuum nullo ſuo merito impeditum verè graviterqve qverebatur.* Eò videatur §. inſtrumenti pacis Monaſter. §. item Rex. & §. 61. pac. Pyren. nec non confutatio qverelarum Gallicarum anno 1658. Conventui Deputator. Francofurti *ſubmiſſa*, *& paulo poſt in lingvam Germanicam converſa. Neqve cauſa fuit*, *cur obtenderetur*

§. Im-

5. Imperator, ubi non conditio, ſed modus deſignatur, effecturos nem-
pe Cæſarem atque Archiducem, * ut, quantum in ipſis erat, ea-
dem voluntate paciſcerentur Hiſpani, non ſanè ut eventum, quan-
quam & hic tandem non defuit, præſtarent, ſed ut ſtudium animum-
que ſuum ad propoſitum hoc conſequendum ſeriò inclinatum declara-
rent, quem profectò etiam ita declararunt, ut nullis laboribus, nullis
moleſtiis atque ſumtibus pepercerint, ſed omni ſtudio conatuq́; pro hoc
capite ab Hiſpanis quoque implendo allaborarint. Contra Galliæ rex
ingraveſcentibus quotidie querelis adeò non medicinam adhibuit, ut
etiam vulnera & plagas reipublicæ ſæpius inflixerit, juraque imperii
ſuis ſanè finibus conſtituta & rectè confirmata infregerit, X. Alſaticas
civitates oneraverit graviter atque afflixerit, Abbatiam Monaſteri-
enſis urbis in valle S. Gregorii, cujus cœnobium & totius Alſatiæ anti-
quiſſimum, & à Dagoberto Francorum rege conditum eſt, in parte
privilegiorum turbaverit, cum Ordine equeſtri Alſatiæ duriùs egerit,
& finitimis imperii Ordinibus multas magnasq́; moleſtias exhibuerit, ac
talia ſubinde agi fieriq́; permiſerit, quæ pacis minimè amantē indicarēt.
Ne nunc addam offenſiones alias ex eo natas, quòd civitates Argento-
ratum & Spira Nemetum multas injurias paſſæ fuerint, & licet ju-
ris innocentiæque ſuæ cauſas exponerent, tamen in multa pericula
inciderint, & tranquillitate, pro qua retinenda nullum alioqui la-
borem recuſarunt, frui non potuerint. Neque meliorem gratiam
cæteri finitimi inierunt, neque Baſileenſi Epiſcopo tenenda in Co-
mitatum Pfuretarum prætenſionis cupido invidia metuque minui
priùs potuit, quàm honori ſuo patientiam accommodaret, ne, ſi nihil cu-
piditati potentioris, cujus neque vim, neque conatum inhibere poſ-
ſet, remitteret, ſe ſuaque in præſentiſſimum diſcrimen ad-
duceret. Ab his initiis dominatio Capetina in limite noſtræ gentis
cre-

* A. 1660. in ſolidum jure ſuo ceſſit Ferdinandus Carolus, &
non modò Alſatiæ ac Sundgoviæ, ſed etiam Comitatui
Pfuretarum, qui in pacto pacis Weſtphalicæ non nomina-
tur, & ut ſupra dictum, lege beneficiaria ad Antiſtitem
Baſileenſem pertinuit, neceſſitate poſtulatorum Gallico-
rum victus renunciavit. V. Lund. l. IX. Act. publ. p. 732.
ſeqq. De rumore permutandæ Alſatiæ, cujus titulum
etiamnum uſurpant ex Auſtria Cæſares, vid. Brew. l. 3. p. 316.

crevit , & inter ſuperiora disſidia cunctationesqve incrementa cepit, latiùs progreſſura, niſi prudentia auctoritasqve Cæſaris felicibus patriæ auſpiciis tandem aliqvando inbibuiſſet, & LEOPOLDI nomen Auſtriæ ſemper fauſtum, * *jam quoqve Germaniæ ac univerſo imperio felix fortunatumqve reddidiſſet. Cui Victori hoſtium atqve tertùm Sponſo triumphos pariter atqve novas Palatinas Neoburgicas necesſitudines , qvibus magnitudinem potentiæ firmat, & præpotentes familias amicitia fœdereqve conjungit, & ſe resqve ſuas animis viribusqve auget , læti ac libentes gratulamur, precati, uti ſanctum illud fœdus auſpicatò ineatur, ac deinceps auguſtum decus in Filiis Nepotibusq; , qvos ſperat poſteritas , ſumma cum ejus ſtirpis gloria amplificetur juxta atqve propagetur.*

* *Id non mediocriter uſu probatum eſt à* LEOPOLDO GLORIOSO, *hujus nominis in ſerie Archiducum I. tùm à* LEOPOLDO PROBO, *bellicarum artium inprimis gnaro, & experta fortitudinis, cum apud Sempachium animosè contra Helvetios pugnans cecidiſſet: dehinc à* LEOPOLDO PULCHRO, *qvi aliis craſſus dictus eſt , ac impetum Hungarorum, Bohemorum atq; Moravorum ſuſtinuit, & pericula maxima in conſilium vertit : poſt à* LEOPOLDO SANCTO, *qvi plus ſemel exercitum victorem reduxit , & Stephanum Ungariæ regem vicit, Auſtriamq; famam factis & conſiliis munivit; à* LEOPOLDO MITI, *qvi Bajoaros in poteſtatem redegit, à* LEOPOLDO *qvi virtutis elogio celebratus , Auguſtam domum novis inſignibus auxit, infideles debellavit, & Richardum Anglum imperii infulas prenſantē mox captū cuſtodiâ attinuit, à* LEOPOLDO *qvem honoris titulus diſtinxit, qvi Saracenos proſtravit, Damiatham expugnavit , & qvodam belli contra barbaros fulmen fuit, à* LEOPOLDO VIII. *qvi Henricum VII. Imp. auctoritate ſuâ corroboravit, & Sveviæ Ducatum, renovata ritu beneficiarii inauguratione familiæ ſuæ confirmavit, à* LEOPOLDO IX. *qvi & gentis ſuæ flos , & Nobilium caput , & Germanorum ſanè bonos fuit, à* LEOPOLDO X. *qvi conſilio & juſtitia Auſtriam munivit, & Neoſtadio caſtro validisſimo arcem impoſuit, qvibus certè major eſt* LEOPOLDUS AUGUSTUS, omnibus, qvi ipſum præceſſerunt, glorioſior, qvippe non tantùm Auſtriæ, ſed Imperii etiam proſpero omine ſucceſſuqve inſtaurator.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE